



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Petri Leurenii Societatis Jesu, SS. Theologiæ
Doctoris, & SS. Canonum Professoris Vicarius Episcopalis,
Sive Tractatus Quaternarius Per Quæstiones & Responsa
Canonica Deductus**

Leuren, Peter

Coloniae Agrippinae, 1708

538. Quid possit circa alterationes beneficiorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74203](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74203)

Quaestio 536. Quid possit Capitulum sede vacante quod ad dismembranda, & dividenda beneficia?

1. **R**esp. ad primum. Si unire potest accessorie unum beneficium alteri, sive facere uniones, quas facere potest Episcopus, ut plerique ex citatis AA, *quest. ante hanc 2.* & uniones factas dissolvere, videtur quoque beneficia posse dismembrare in casibus, in quibus id potest Episcopus servatis servandis. dismembrare enim beneficia aliud non est, quam separare aliquos fructus, & redditus beneficii ab ipso beneficio, ut alteri beneficio vel pio loco applicentur. Castropal. *loc. cit. p. 9. §. 10 n. 1.* & quidem intacto & inextincto ipso beneficii titulo. per unionem vero accessoriam extinguitur ipse titulus beneficii, quod unitur, fructusque, & redditus illius omnes applicantur beneficio, cui unitur. efficiturque veluti praedium illius; quod sane plus est, majoremque sapit alienationem, quam relicto in rerum natura beneficio partem fructuum ab eo separatam applicare alteri. ergo hoc postremum poterit, qui potest prius. Si vero Capitulum sede vacante unire non potest beneficia nisi forte ad summum aequè principaliter; idque quia ista unio accessoria sapit alienationem, videtur quoque non posse beneficia dismembrare; sapit enim & ista dismembratio alienationem; etsi, ut dictum, minorem quam dicta unio accessoria; omnis autem alienatio interdicta sit capitulo. ex ista vero potestate faciendi unionem aequè principaliter argui nequit potestas illa dismembrandi; cum per unionem principalem neque titulus beneficii extinguitur, neque fructus ab eo separantur, sed beneficium unà cum fructibus suis ita connectitur alteri, ut ex duobus beneficiis, quorum singula manent in rerum natura, consurgat unum.

2. Resp. ad secundum pari modo, si unire potest beneficia accessorie, videtur quoque posse beneficia dividere, quae dividere poterat Episcopus. dividere enim beneficium est ipsum titulum beneficii dividere, & ex uno facere duos, seu ex uno beneficio duo, v. g. ex una Parochiali facere duas, ex uno Canoniatu facere duos Canoniatu, vel Canoniatum, & portionem, per quam sectionem veluti ipsius tituli differt divisio à dismembratione, utpote in qua titulus remanet integer, & unus. *Garc. loc. cit. Castropal. loc. cit. n. 3.* hoc autem minus videtur, quam titulo extincto penitus separatos ab eo fructus applicare alteri, & sic ex duobus beneficiis non nisi unum relinquere, uti fit per unionem illam accessorie factam. videnturque id ipsum adhuc clarius sequi ex eo, quod uniones factae accessorie rescindere potest, ita ut denuo duo consurgant beneficia. Et posse beneficia ab eo dividi, tenet Laym. *in c. olim. de majorit. & obed. n. 11.* ubi: Capitulum sed evacante beneficiorum uniones instituere, quin & beneficia dividere potest; quia ejusmodi propter utilitatem ecclesiae, seu ob causam rationabilem fieri solita ad episcopalem jurisdictionem spectant; ergo à Capitulo vacante sede expediuntur, dummodo ejusmodi unio, vel divisio non tendat per se in utilitatem capituli, neque per eam juri episcopali praedjudicetur. citat pro hoc scriptum. *theol. mor. l. 4. tract. 2. c. 9. n. 6.* Porro in ordine ad hanc utiliter leges, quae tradidi in *for. benef. p. 3. sect. ult.* de hac materia unionis, dismembrationis, divisionis &c.

Quaestio 537. Quid Capitulum sede vacante possit circa supprimenda & extinguenda beneficia?

1. **R**esp. primò suppressere beneficia, ut sibi uniantur, nequit Capitulum. *Ventrigl. loc. cit. n. 64.* *Barbol. loc. cit. n. 99.* juxta dicta paulo supra.

2. Resp. Suppressere de cetero potest in omnibus casibus, in quibus ea accessorie unire potest; quippe talis unio non fit sine suppressione, & suppressionis filia, ut ait Loterius, est dicta unio.

3. Resp. tertio; suppressere tamen etiam non posse in casu, & causâ expressis à Trident, *sess. 24. c. 15.* tenere videtur Castropal. *tract. 13. d. 6. p. 2. §. 9. n. 2.* ubi, quod dicto Tridentini decreto nomine Episcopi is solus comprehendatur. Verumque & indubitatum videtur quod ad supprimenda beneficia simplicia in ordine ad reliquarum praebendarum in cathedrali augendas distributiones. Sic enim directè faceret hanc suppressionem in bonum, & utilitatem propriam Capitulum, quod non potest juxta *respons. 1.* & dicta supra, & juxta expressam declarationem S. Congreg. *ad c. l. Trid.* apud Gallemart. quae plus non vult, dum ait: *Capitulum sede episcopali vacante non potest suppressere quodcumque beneficium & sibi unire.* Veruntamen nil videtur vetare, quo minus id possit in insignibus Collegiatis, in ordine ad augendos proventus, & distributiones ceterarum praebendarum istiusmodi collegiatarum, quod ipsum *loc. cit.* licere Episcopis vult Tridentinum, & respectu cujus non videtur excludi Capitulum, quod sede Episcopali vacante fungitur vice Episcopi; cum & ipsum sit necessitatis, spectetque ad bonam diocesis administrationem; adeoque licet specialiter id concedatur Episcopis, nil obstat, quod minus iis defunctis transeat ad Capitulum cathedrale ista facultas, & ex altera parte ista suppressio non cedat directè in utilitatem propriam Capituli. Observandum tamen hic iterum, ne per talem suppressionem creetur praedjudicium juribus futuri Episcopi. vide *quest. penult. p. 3. for. benef.* ubi quid possit Episcopus quod ad suppressiones beneficiorum.

Quaestio 538. Quid possit Capitulum sede vacante circa alterationes beneficiorum?

Resp. in genere, videri, posse quod ad hoc punctum Capitulum sede vacante. quod potest Episcopus, dum viveret, jure ordinario, modo non cedat in praedjudicium Episcopi futuri. Unde in casu, in quo potest ille onera aliqua beneficio in prima ejus creatione imposita demere, aut praeter illa imponere (quae est quasi alteratio beneficii: extrinseca) videtur id ipsum posse Capitulum. Item ubi is posset beneficium liberum potestate sua ordinaria subicere juripatronatus (quae quoque est alteratio beneficii quasi extrinseca) vel è contra de subiecto juripatronatus reddere liberum, poterit id ipsum Capitulum ex regula quasi generali, quod Capitulum succedat Episcopo in jurisdictione ordinaria. Item sicut potest Episcopus potestate sua ordinaria mutare Ecclesiam simplicem in curiam, & parochialem (quae est alteratio quasi intrinseca beneficii) *Azor. p. 2. l. 6. c. 30. q. 2.* *Castrop. tract. 13. d. 6. p. 2. §. 11. n. 2.* *Garc. p. 12. c. 5. n. 1.* ita quod id poterit Capitulum sede vacante. Atque ita

Videndum, quid hac in parte possit aut non possit Episcopus, de quo vide p. 3. for. benef. sect. ult. ubi de suppressione & alteratione beneficiorum.

Questio 539. An Capitulum sede vacante possit beneficiatum privare suo beneficio?

R Esp. affirmativè. Dian. p. 8. tract. 4. resol. 28. Paril. de resignat. l. 7. q. 23. n. 22. Azor. p. 2. l. 3. q. 11.

citans Payin. p. 2. q. 6. n. 1. & 2. quia Capitulum succedit in jurisdictione episcopali quò ad inquirendum in criminosos, eosque puniendum; adeoque poterit eos ob crimen dignum hac panà privare beneficiis juxta dicta supra.

* *



CAPUT QUARTUM.

De constitutione & qualitatibus Vicarii Capitularis.

Questio 540. An Capitulum sede vacante teneatur constituere vicarium, per quem jurisdictionem ad se devolutam exercent?

R Esp. Neque olim tenebatur, neque modò, quantum est de jure communi, teneatur Capitulum constituere Vicarium, sed poterat jurisdictionem ad se per mortem Episcopi devolutam per seipsum exercere. Barbof. jur. eccl. l. 1. c. 32. n. 28. Sbroz de off. vicar. l. 1. q. 16. n. 9. Ventrig. tom. 2. annot. 15. s. 2. n. 1. citans in super Ricciull. de personar. extra eccl. constitut. l. 1. c. 13. n. 16. in fine. Hodiedum verò post Tridentinum teneatur pro administratione, & jurisdictione illa ad se devoluta creare seu constituere Vicarium, vel existentem confirmare juxta expressam dispositionem Tridentini sess. 24. c. 16. Fagn. in c. his que de major. & obed. n. 67. Garc. p. 5. c. 7. n. 6. Sbroz. loc. cit. n. 8. Barbof. Ventrig. ll. cit. cum communi.

Questio 541. Num quoque alia capitula præter cathedralia archæantur à Tridentino, defuncto prælato suo, constituere Vicarium?

R Esp. Negativè. Fagn. loc. cit. n. 77. ubi: advertendum dispositionem Concilii in dicto c. 16. procedere in Capitulo Cathedralis & Metropolitanæ duntaxat, ut patet ex illius contextu, & declaravit S. Congreg. ejusdem Concilii interpretans nam proposito dubio, an decretum illud Concilii, quòd constituere debeat vicarium, locum etiam habeat in collegiata defuncto ejus prælato, qui ordinariam jurisdictionem, & jura episcopalia habebat, S. Congregatio censuit, non habere locum. Quamobrem in Capitulis titularum Cardinalium, & aliarum ecclesiarum collegiatarum tantquam omissis à concilio servanda dispositio juris communis &c. ita ille. Quam ejus doctrinam sequitur Carol. de Luca in observat. ad Ventrig. loc. cit. n. 6. atque exinde jam sequitur, quòd prælato talis ecclesiæ defuncto penes Capitulum maneat administratio (intellige, quòd ad exercitium) idem Carol. de Luca. loc. cit. citans pro hoc Card. de Luca de jurisdic. d. 54. n. 2. & 3.

* *

Questio 542. An in aliis quoque casibus extra casum mortis aut captivitatis Episcopi v. g. dum Episcopus ageret in remotis, & interea constitutus ab eo Vicarius mortuus esset, Capitulum possit, aut debeat constituere Vicarium Capitulare?

R Esp. certum esse ex dictis supra q. 3. hujus tractatus, jurisdictionem in hoc casu devolvi ad Capitulum, ne interea, quo Episcopus agens in remotis de hoc certioreretur, aut ad sedem Apostolicam recurratur, clerus, & populus maneat acephalus & sine superiore, ut card. de Luca de jurisdic. d. 54. n. 7. quòd si autem interea administratio, & jurisdic. ad Capitulum devolvatur, nil vetat, illud eam exercere posse per Vicarium à se deputatum. Card. de Luca loc. cit. Pirh. ad tit. de off. vic. n. 77. contra Marchet. in pr. vicar. capit. p. 1. tit. 1. n. 32. & Beroum conf. 23. à n. 4. l. 1. qui tamen posterior loquitur solum in casu, in quo Episcopus absens reluctatur, & vult per seipsum administrare; cum de jure Episcopus non teneatur deputare Vicarium, uti patet hæc ex iis, quæ ex eodem Beroum habet Sbroz. de vicar. l. 1. q. 59. ubi: sive Episcopus negligens sit in eligendo vicario, sive absens, eo refragante Capitulum constituere nequit vicarium; Verum ut vides is non est casus præsentis questionis, Videretur tamen Capitulum in hoc casu non arctari, ad exercendam jurisdictionem per Vicarium à se electum; sed posse eam interea exercere per seipsum; cum Concilium ad hoc non arctet Capitulum, nisi in casu sedis vacantis, quòd non contingit nisi per mortem, aut translationem Episcopi ad aliam ecclesiam, aut etiam ad summum per captivitatem illius, utpote in quo casu censerit solet, ac si sedes vacaret, & adhiberi quoque solet terminus viduitatis, etsi per quandam improprietatem, seu improprium loquendi modum, ut Ridolphin. in pr. p. 3. c. 4. n. 19. & seq.

Questio 543. Intra quod tempus à morte Episcopi constituendus ille Vicarius?

R Esp. primò intra dies octo juxta eandem expressam Tridentini dispositionem. Laym. ad c. romana. de off. vicar. in 6. n. 16. Fagn. Garc. Barbof. Ventrig. ll. cit. cum communi. Currere verò incipit dictum tempus à die scientiæ mortis, vel translationis Episcopi ad aliam ecclesiam. Dian.

S 4

p. 8;